12


DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE PARTURIENTIUM SITU,

PRÆSIDE SUMMO ARCHIATRO
Ex Jussu Et Decreto
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS,
IN ALMA ARGENTORATENSIUM UNIVERSITATE

Pro Summis in Arte Medica Honoribus & Privilegiis Doctoralibus
rite obtinendis
PLACIDO ET PUBLICO PHILIATRORUM EXAMINI
ſubjiciet

JOH. JMMANUEL HORNUNG,
ONOLDO - FRANCUS.

Horis locoque ſolitis,
Ad diem 30. Junij clↄ clcc XXXIII.



ARGENTORATI,
Literis GEORG. ADAMI PIESCKERI, Univerſ. Typogr.

DEO,
PATRIÆ,
PARENTIBUS,
PATRONIS
ET
AMICIS.

NOBILISSIMO AC PRÆCELLENTI

DOMINO

JOANNI IMANVELI HORNVNG,

Medicinæ Candidato Dignissimo

Fautori & Amico suo æstumatissimo,

salutem & observantiam

D

JOANNES GODOFREDUS SCHEID,

Med. Doct. Pract. & Obstetric. Jurat.



Ubens meritoque fateor, Nobilissime HORNVNG, ab eo *tempore, ex quo mihi innotuisti, vitæ TVÆ studiorumque consuetudinem, mihi fuisse multo jucundissimam, sed virtutis TVÆ commendatio haud eget testimonio, quando in Alma nostra Universitate ita TE comparasti, ut bonorum omnium amorem & benevolentiam TIBI dudum conciliaris. Ipse certe propius inspexi indolem TVAM quæ suapte vi resistit languori, & ad res duntaxat optimas conversa, imitatur exempla majorum TVORVM. Luculentissimum horum documentum præbent, præsentes, quæ* de Parturientium Situ *in lucem emittis Theses, quibus abunde demonstras, TE in una non minus quam altera scientia bene versatum esse. Nihil igitur superest, ad curriculum laudis feliciter*

liciter conficiendum, quam ut & hoc labore cum applausu exantlato, digna studiis praemia & summi in arte medica honores promeriti TIBI conferantur. Macte Ergo his titulis, hacque virtute TUIS in arte salutari profectibus augendis invigilare perge, atque ea quae hausisti solida artis praecepta in futura praxi in Succum & Sanguinem converte. Ita fiet ut SERENISSIMI PRINCIPIS & DULCISSIMAE PATRIAE spem & expectationem adimpleas. Ita etiam fiet, ut, Familiae TUAE Splendorem gloriamque egregie tuearis & amplifices. Ita denique fiet, ut Nobilissimae MATRI *solatio eris. Quod ut consequaris animitus TIBI apprecor. Vale Nobilissime ac Praecellens Domine Candidate, meque favore TUO prosequi perge.*

Dab. Argent. d. 19. Junij 1733.

ORNATIS-

ORNATISSIMO NEC NON SOLERTISSIMO

DOMINO

JOANNI IMMANUELI HORNUNG,

Amico suo Integerrimo

Multam apprecatur felicitatem

MAURIT. GOTHOFR. de FORELL, Med. D.

MUltum sane interest, quæ dogmata quis, qui studiis operam impendit, à primis imbibat annis: horum enim talis est conditio, ut quasi nativa reddita, tam fortiter menti insigantur, ut ægre inde eradicari queant; quemadmodum autem ingens felicitas, si quis fundatam hauserit doctrinam, ita è contra magna est inopia, si absona atque falsa à Docentibus perceperit principia. Felicem itaque Te, Amice Suavissime, censeo, cum Viros, fama inclytos, quorum manuductione saluberrima Tibi comparasti præcepta, in arte nactus sis Apollinea: Studiis hinc quoque Tuis fere majore, quam sanitati conducebatur, sedulitate incubuisti, ita ut frenum potius, quam calcar Tibi admovendum fuerit; Veterum & Neotericorum monumenta Te etiam perscruta-

tum ſtrenuo, & non minus in reliqua ſcientia Medica, quam quoque inprimis Arte Obſtetric: gnaviter verſatum eſſe, Tuus, in lucem editus, de Situ Parturient: fœtus apprime teſtatur. Ad illuſtrandam præterea gloriam Tuam, hoc unicum tantum adjiciam, Te nempe, præeunte Doctiſſ. ac Sagaciſſ. D. Scheidio, ſingulari dexteritate, qua data occaſione, permultis opem tuliſſe parturientibus, ſic ut non dubitem, fructus exinde redundaturos uberrimos. Quapropter Tibi, Amice Optime, de feliciter hactenus exantlatis ſtudiis atque eximiis in arte noſtra profectibus animitus congratulator, atque ex animi ſententia voveo, ut per hancce egregiam, non alienis alis, ſed proprio, ut ajunt marte, conſcriptam Diſputationem, digna meritis Tuis nanciſcaris præmia, & non ſolum Litteratorum, verum etiam maxime Summi Principis Tui favorem atque gratiam Tibi concilies; Summum Numen ardentibus inſuper implorans ſuſpiriis, ut per reliquum vitæ tempus benevola ſua protectione nutuque Te ducat conſervetque, quo ærumnoſum hocce vitæ curriculum forti animo abſolvere & poſt tranſactos tandem labores æternum cantare poſſis triumphum. Cæterum ulteriori Tuæ amicitiæ favorique me ſemper commendatum habeas quæſo. Dab. Argent. $17\frac{24}{6}33$.

SUMMOS

SUMMOS
In *ARTE MEDICA* Honores,

JOANNI IMANUEL HORNUNG,

Fautori & amico Suo aeſtumatiſſimo
Argentorati,

laetis auſpiciis, capeſſendos.
gratulatur.


MICHAEL SIEBENKEES,

ANimus meus, qui ex felicitate TUA nunquam non incredibilem cepit laetitiam, ſummo flagrat deſiderio inter eos, qui congratulandi cauſſa certatim TE adeunt, de dignitate & ornamentis, meritis TUIS debitis, & in Celeberrima Argentoratenſi Academia laetis auſpiciis Tibi collatis, ſincere officium TIBI meum declarandi. Jndefeſſi TUI in arte ſalubri ſtudii digniſſimum praemium, quod nunc capis, laetus intueor, eoque nomine gaudium TIBI meum teſtor & fortunatos fauſtosque omnium rerum ſucceſſus pie apprecor. Eximia ſane afficiebar lætitia cum per-

ciperem,

ciperem, TE de nobili summi in medicina honoris titulo propediem cupiendo, animum TUUM instituisse & publice profiteri velle, quam semper verae virtutis laudem fueris secutus. Felicissimus eventus docebit, me amori in TE meo non plus, quam veritas concedit, fuisse largitum. Macte igitur hac virtute Tua, ejusque postquam praemia es consecutus, quae generosas mentes erigunt, ad honorifica magis contende. Novo Tuo honori subclamo! feliciter, in votis nil amplius habens, quam ut spem & expectationem Matris Tuae charissimæ ex asse adimpleas ac uberrimam omnium rerum felicitatem a DEO consequaris.

Dab. Argent. d. 24. Junij M DCC XXXIII.



B. C. D.



B. C. D.

DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
PARTURIENTIUM SITU.



Uperatis Divino auxilio examinibus Gratiosæ Facultatis Medicæ, supereſt adhuc Diſſertatio Inauguralis. Diu quidem nobiscum varia volutaſſe meletemata, lubentiſſime confitemur, quippe ita cum arte Aſclepia

dea comparatum eſt, ut quædam adeo ſint diſcuſſa, ut profecto nauſeam moveremus, ſi crambem multoties coctam denuo recoquere vellemus: alia vero tantis obnoxia diſceptationibus, altercationibus, diſſenſionibusque, ut præſtet illa intacta relinquere, quam tricis inexplicabilibus ſeſe implicare. Quam ob rem tutius eſt mala, in arte noſtra medica ſenſim ſenſimq; oborta, tacite ſecum deplorare, quam palam reprehendere fata rara temporum: uti *Tacitus Lib. I. Hiſtor. Cap. I.* perverſum rerum ſtatum conſiderans in hæc erupit verba: *Sic, inquiens, felicitas, ut ſentire quæ velis & quæ ſentias dicere liceat.* Quid enim quæſo! in cauſa eſt tot ſententiarum, tot opinionum, tot denique ſectarum, quam luxurians ingenium, ſpeculationes, mira fingendi libido, præjudiciorum cohors. Caveamus itaque ab hiſce, ne eos imitemur, potius veſtigia *Cl. Bagliv.* premamus

mus, qui in *Operib. Med. pag.* 6. ſcribit: *Medicina non adeo incerta eſt, nec adeo levibus, ut vulgo putant, innixa fundamentis, ſed regulis certis multoque uſu confirmatis ſuffulta eſt.* Inter plura igitur argumenta, quæ ſeſe obtulere, maxime nobis arridebat præſens hoc de SITU PARTURIENTIUM. Cum enim hi tot tantasque ſæpe turbas in partus negotio excitent, quæ & obſtetricantem, ſatis quandoque expertum, ſumme decipere & angere, & mulierculas maximis frequenter exponere periculis, imo morti tradere valeant, operæ pretium duximus, hanc materiam, quantum quidem vires & pagellarum anguſtiæ concedunt, thematis loco exponere. Ubi autem B. L. eam non exacte ad amuſſim exaſciatam reperies, ne id vitio nobis vertas, eſt quod rogitamus, cum ingenii vires ab elaboratione accuratiore nos ex-

cludant. Si vero quibusdam conatus & labor hicce minus placuerit, iis id consilii damus, ut jucundiora lectu vel auditu ab aliis sibi postulent, nihil enim hic obscœni, nihil hic lascivi damus, quod ipsorũ animis, nisi ejusmodi cogitationum labe prius infectis, offendiculo esse queat. Tu vero interea, O Jehova! Dux & auctor studiorum nostrorum benignissime, & nunc nobis, nostris his reliquisque ausis, miseris mortalibus sacris, adsis clementissime! Fac, iis Divini Nominis Tui gloria celebretur, & amissa dulcis periclitantium sanitas redintegretur, prosperos suscepto labori largiare exitus, ut omnia, quæ aguntur & agentur, agantur feliciter.

DISSER-

DISSERTATIONIS INAUGURALIS. DE PARTURIENTIUM SITU.

CAPUT I.

§. I.



Eteres Philoſophi æque ac Medici, uti multa ſomniarunt, ac commenta tradiderunt, ita imprimis in hoc, quod generationem, nutritionem fœtus, partum denique ipſum concernit, cœcos eos fuiſſe, demonſtraverunt, quos vero ſuperioris ævi diligentia erroris redarguit. Quis enim neſcit, generationem eos in æquivocam & univocam diviſiſſe. Eam nimirum generationem univocam dicentes; quando generans & genitum ejusdem ſunt ſpeciei; eam, qua generans genitumq; diverſam ſpeciem conſtituunt, ſeu ut *Plinius Hiſt. Nat. l. 9. c. 68. ait, quæ ex non genitis fit, ac ſine ulla ſui ſimili origine*, generationem æquivocam appellare amaverunt. Videlicet, cum ab homine procreatur homo, à Leone generatur Leo, ab Abſynthio propagatur Abſynthium, univoce generari dicitur.

Æquivoce, ubi, ut putant, Sol aut quæcunque eſt cauſa generalis, ex alio quopiam corpore, quod nec planta eſt, nec animal, vel plantam vel animal producit. Hinc eſt, ut animalia, imprimis quæ imperfecta, ut inſecta vocata, dicimus, generari vulgo credantur ex terra, ex aqua, ex cœno, ex fimo, ex ligno corrupto, ex planta viridi, atque in ea, ex cortice, ex ſucco, ex radice, ex trunco, ex folio, ex flore, ex fructu; itemque ex animali tum vivo, tum mortuo, & in eo ex cute, ex carne, ex medulla, ex lacte, ex ſudore, ex pilis, ex fœcibus; ac rurſus ex aliis quibusvis propemodum rebus, etiam ex duriſſimo lapide, & ut ferunt quoque ex igne, ex nive, ex nube, & ex qua re non? uti exclamat mirabundus *Gaſſendus*. Anſam forſitan huic credulitati dedit Ariſtotelis auctoritas: Is enim inſecta aut ex animalibus generis ejusdem, aut non ex animalibus, ſed ſponte generari expreſſe pronunciat, & quidem inter hæc, alia ex rore, alia ex cœno aut fimo putreſcente, alia ex aliis oriri aſſerit.

§. II.

Inde Plinius aliique, qui de rebus naturalibus litterarum monumentis aliquid conſignarunt, auctores, inprimis qui ipſi experimenta non fecerunt, non tam ſecuti fuerunt Præceptores, ut in aliis ita in hoc quoque aſſerto, quam in verba eorundem jurarunt. Imo tam altas ad hæc usque noſtra tempora radices egit hæc hypothæſis, ut nonnulli Peripateticorum non plantas aut animalia tantum imperfecta vulgo

dicta,

dicta, sed etiam perfectiora, ut mures, glires, aliaq; similia ista sua generatione æquivoca procreari posse statuerint. Et quid non diceret Cæsalpinus? qui superiore seculo, Aristotelem, ipsius quoque animalium omnium perfectissimi, hominis generationem ex putri materia possibilem statuisse, asserere conatus fuit. Nec hic silentio præterire possumus, quin & mentionem faciamus homunculi spagirici, cujus origo juxta *Theophrast. Paracels.* de vita longa. Lib. 3. Cap. 4. fol. m. 849. in spermate consistit. Per maximam enim digestionem, quæ in ventre equino fit, generatur homunculus, similis ei per omnia corpore & sanguine, pincipalibus & minus principalibus membris, à quo prodiit vid. l. c. fol. 860. Idem de Generat. rerum naturalium L. 1. fol. 883. processum hujus homunculi præparandi prolixius describit.

§. III.

Hanc tamen Paracelsi, de homunculi in Phiala vitrea generatione, opinionem, absurdam & ridiculam, imo nefandam atque damnatæ memoriæ recte vocat *Julius Cæsar Baricellus Hortul. Genial p. m.* 108. Sicuti & quidam somniarunt, tam inter animalia quam homines dari feminas absque marium concursu concipientes, uti de Vulturibus scribit *Claud. Ælianus de Animal L.* 2. *Cap.* 46. *fol. m.* 45. Omnes scilicet esse fœminas, inventre concipere non ova, sed pullos statim parere vid. etiam *Sinibald. Geneanthrop. Lib.* 1. *Tract.* 3. *Cap.* 7. Inter homines quoque ejusmodi conceptiones hermaphroditicas dari & illæ-

sarum

ſarum Virginum partus, quæ ſine virili concubitu conceperint, atque pepererint, de Marlini Britanni vatis matre ex Aſſaytato in Spermatolog. Schurig. c. 13. §. 37. p. 683. adducit, eandem, ſcilicet cum forte ſe cum viro jacere ſomniaſſet, hunc filium ſine viro concepiſſe. De his autem & aliis absque coitu per ſolam imaginationem, vel per ſemen in balneo à mare profuſum, annotatis conceptionibus, jam dudum ſuſpectis *vid. Schurigius l. c. C. 4. §. 2. p. 156.* it. *Hieronym. Mercurial. de morb. Mulier. Lib. I. Cap.* 2. de apibus, quibus etiam coitum denegabant, *Virgilius* jam cecinit *Georg. Lib.* 4.

Illum adeo placuiſſe apibus mirabere morem,
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora ſegnes
In Venerem ſolvunt, aut fœtus nixibus edunt,
Verum ipſæ natas foliis & ſuavibus herbis ore
legunt &c.

Et ex ceris, ſine coitu veluti apes emergere *Petronius* aſſerit:

Sic ſine concubitu textis apis excita ceris
Fervet & audaci milite caſtra replet.

§. IV.

Huic vero, ut & aliis opinionibus erroneis anſam dedit veterum doctrina, cum nimirum ſemini vel maſculino vel feminino omnia membra & ſtamina embryonis in ſe continere tribuerunt. Quam doctri-

doctrinam & *Mauriceau* & *La Motte* in operibus ſuis ad hæc usque noſtra tempora maſcule defenderunt. Sicuti & credimus ex hocce veterum aſſerto *Lævvenhœckium* vermes ſuos deſumſiſſe, atque generationem hiſce mediantibus fieri tradidiſſe. Et forſitan adhucdum in Democratis puteo abſconditum jaceret, generationis negotium, niſi *Celeb. Harveus* accuratiore inquiſitione nobis aliam detexiſſet viam, qua abſcondita rerum inſpicere nosmet ipſos & primordia noſtra cognoſcere poſſimus.

§. V.

Ex ovo itaque animalia cuncta, adeoque & hominem produci nos, ipſe *Harveus* & alii rerum naturalium accuratiores ruspatores anatomia comparativa ſuffulti, docuerunt. In hoc jam ovo latet Embryo omnibus ſuis membris perfectus & abſolutus, ita, ut nullius alius indigeat generationis & procreationis , ſed ſaltem hoc opus habet, ut aura ſeminali irroretur, inque uterum maternum per tubas, quæ a *Fallopio* inventore nomen habent, deducatur. Ovulum ejusmodi ad uterum delapſum, duobus inveſtitur involucris, quorum interius ſubtile, & *Amnion* audit, exterius ſatis validum, villis fibrillisque papillaribus præditum eſt, & *Chorion* appellatur, quarum ſcil. fibrillarum meatus uteri circumferentiæ ſeſe applicant, humorem nutritium ad tenellum derivandum, hauriunt, & ad embryonem deferunt. Imo hæ ipſæ radices pedetentim adeo multiplicantur ; ut tandem latam ſatis, craſſamque

nec carni adeo absimilem substantiam utero late adhærentem componant, *quam secundinam* vel *placentam* nuncupant Anatomici. Adhæsionem vero secundinarum, cum vasis uteri ita comparatam esse debere, certo credimus, ut nimirum venæ hujus cum arteriis uteri connectant, sanguinemque ab illis recipiant atque ad fœtum portent: Arteriæ autem secundinarum sanguinem superfluum venis uteri iterum tradant, quo cum reliquo sanguine materno circulationis ope cordi communicetur. Hunc itaque in modum quam diu fœtus in utero hospitatur, nutritur, fovetur atque conservatur, usque dum absoluto gestationis termino difficillimis quandoque laboribus edatur.

§. VI.

Ne vero nobis quis imputet, ac si adhæsionem chorii cum toto uteri cavo cohærentem defendere vellemus, cum supra de hac aliquam fecimus mentionem, omnino necessarium esse duximus, mentem nostram ulterius explicare. Nos non latet, Præcellent. *D. Joh. Anton. Friderici*, in Dissertatione sua Inaugurali, cui titulus est, de *Uterina gravidarum hæmorrhagia*, *Argent.* 1733. ventilata, hancce opinionem fovisse §. 12. & 13. & observatione quadam corroborasse. Cui vero respondemus: unam hirundinem ver non facere, & licet observationi ejus non contradicamus, ita tamen minime ex hocce statu præternaturali ad naturalem argumentari posse credimus; inprimis cum in recenti adhuc memoria

cola-

colamus, quod in discursu quodam privato, ab Experientiss. *Dn. D. Scheid, Medico-Practico hujus loci & Obstetricante Jurato* percepimus; is enim nos affirmavit eum quoque hancce chorii parietibus uteri, imo orificii ejus interni adhæsionem, apud gravidam quandam, febri continua extinctam, observasse. Cum vero nullus vel Anatomicorum vel Obstetricantium, unquam similem viderit, hinc etiam minime credimus, eam semper & in omni utero gravido ita sese habere, sed merito ad præternaturalia tam diu referenda esse, usque dum accuratiore inquisitione meliora edoceamur.

§. VII.

Partum jam ipsum quod concernit, eum admirandum naturæ opus esse, & captum nostrum superare, dudum *Galeno de usu. part.* angustiam orificii uterini respicienti visum fuit. Etiam in brutis pariter, tam oviparis quam viviparis, atq; hominibus familiare & frequens sit, minime tamen omnibus parturientibus æque facile. Siquidem bruta citius se expediunt, minus periclitantur, nec tanto in exclusione fœtus molimine opus habent, ex *Aristotel. lib. 7. histor. Animal. cap. 9. Harvei Exercit. de part.* Humani vero generis matres tot tantisque difficultatibus premuntur, ut in legitimo & naturali etiam partu hæ misellæ usque ad unam omnes, maximos dolores hactenus experiri coactæ fuerint, & adhuc cogantur vel ipsis S. literis hoc attestantibus. Et ut verbis *Jason. à Pratis* exprimam. *Artus desidia nulla*

stupidi torpent ; nec nervi marcore diutino inflexiles rigent, latera bona sunt ; mulieribus præsertim stabilibus ac sellulariis animus ad primum crepitantis claustri morsum, confestim defluit, circumcursant, pallent, metuunt, respectant, deos deasque omnes inclamant ; O Juno, Lucina fer opem ! nequeunt membra longo otio veluti inter mortua evigilascere, nequeunt explicari, expandi, fatiscere : nec tantillum emota loco fœtui in hanc lucem prodire gestienti concedunt, ut introseptus sæpicule conficiatur, non resolutis naturæ foriculis.

§. VIII.

Imo quotiescunque à naturali modo partus deflectit, aut si quæ circa eum, eumque sequentia fœtus involucra facienda sunt, non recte administrantur, tam infelices sunt, tamque acerba fata sentiunt, ut consueti labores, atque dolores ipsis etiam geminentur, & dum vitam suis contribuunt, haud raro vita sua priventur. Hanc ob causam tot tantique viri eo allaboraverunt, ut encheirises in libris suis nobis tradant, quibus mediantibus fœtum ex carcere suo materno liberare, matremque, morti proximam, salvam conservare possimus. Omnes vero hasce encheirises hic repetere nec instituti ratio postulat, nec pagellarum angustia permittit. Quamobrem B. L. ad fontes, ad auctores nimirum ipsos, transmittimus, ubi inveniet, qui sint imitandi, qui vero fugiendi. Nobis autem hic potissimum de Situ Parturientium, sermo erit, experientia quotidiana edocti, quod nisi parturientes commode locentur,

etiam dolores & nisus ad partum valere, atque bene cooperari minime possint.

CAPUT. II.
DE SITU PARTURIENTIUM.

§. I.

PArtum quidam in naturalem & præternaturalem diviserunt, sicque omnes duabus hisce speciebus comprehendi voluerunt. Per naturales omnes eos explicantes partus, quando infans solo naturæ impulsu, ubi obstetricibus non est quod agant, ex utero expellitur. Et ut verbis Experientissimi *Dni. Dris Gladbachii* utar, qui in *Dissert. sua Inaug. Quod instrumenta non nisi summa urgente necessitate in quovis partu sint in auxilium vocanda,* scribit: *Per partum naturalem intelligimus, si justum graviditatis tempus præter propter effluxerit, & veri motus & matrem & Obstetricem de eo admoneant. Scilicet quando illa non tam tormina ventris, quam per vices redeuntem exerendi conatum, cum dorsi dolore persentiscit, artus tremunt, alvus & urina egeruntur, & continuus tenesmus perseverat, imprimis autem obstetrix orificii interni, usque adhuc clausi, aperturam deprehendit; sine hac enim nullus exitus est & labores illi idcirco appellantur spurii, sæpe longo ante partum tempore infestantes.* Priora si contingant parturiens justo situ in sella aut cubili ad id accommodato,

dato, locatur, aëre frigido, imo & cum excessu calido, abacto, non tamen intempestive & non nisi, quando natura monstrat, ab obstetrice adjuta, partus labores subit. Omnibus hac ratione ad exitum dispositis, orificio uteri se dilatante, & partium illarum nisu contractorio adaucto, rarius infans una cum suis amiculis transit, sed potius ruptis membranis, & post aquarum in iis contentarum profusionem prodit. Si igitur infans hoc modo nascitur, tunc dicitur partus naturalis: inter præternaturales vero omnes partus referendi sunt, ubi manus obstetricum omnino necessariæ sunt.

§. II.

Alij etiam in quorum numerum referendi sunt, *La Motte*, *Mauriceau*, *Dionis* &c. tertiam addiderunt speciem, *non naturalem s. difficilem & laboriosum partum*; hanc autem speciem omni jure vel ad naturalem l. ad præternaturalem accenseri posse, experientia docet. Quamlibet vero horum speciem diversam requiri encheirisin cooperandi, diversum quoque situm, quo infans eo melius vel expelli vel manibus extrahi queat, quilibet, si modo non ignarus hujus sit artis, mecum fatebitur. Qualis autem esse debeat, jam in præsentibus præcise explicabimus, modum nimirum tradituri, qui cuivis nationi in partu naturali communis & magis solennis est, deinde etiam, quid in præternaturali sit agendum docere decrevimus.

§. III.

§. III.

Primo ITALORUM methodum, qua parturientibus in partu naturali succurrebant, recensere volumus, quippe quibus debemus, quod ars obstetricandi, alias multis imbuta erroribus, emendata atque ab istis aliquo modo liberata fuerit. Itali autem triplici utebantur & adhuc dum utuntur modo, vel enim fœminæ in lecto, vel in sella expresse ad hoc negotium fabrefacta, vel quibus res angusta domi flexis genibus infantes peperere, uti hac de re *Scip. Mercur. lib. I. Cap. XXIII. p. m.* 85. legi meretur dum inter alia hæc recenset: *Vetuti questi segni la commare subito si deve accingere ad ajutare il parto intrepidamente', il quale si può fare in tres modi, o in letto, o in la seggiola, o quando la necessita, e la pouerta sforzasse sopra le ginocchia d'un 'altra Donna.* GALLI, qui, uti multa in Chirurgicis partim imitati sunt, partim correctione sua auxerunt, ita & in hoc, quod partus negotium involvit, plura laudabilia nobis tradidere, viam nimirum nobis monstrantes, qua misellos infantes, carceri uterino inclusos, liberare non saltem, sed & salvos incolumesque mundo tradere queamus. Illis vero mos est in quovis partu, ut in lecto vel vulgari, vel huic negotio speciatim adaptato, infantes edant. Istæ nimirum mulierculæ, quibus curta est supellex, lectulo suo vulgari imponuntur, ita tamen ut transversim & clunium situs, per suppositas culcitras magis elevatus sit, quam reliquarum partium, quales descripsere *Viardel Traité des acouchemens p.* 12. *Mauriceau traité des*

des acouchemens Lib. II. cap. VII. p. 244. *Ce lit,* inquit, *doit être fait en telle façon que la femme ainsi prête d'acoucher y soit couchée sur le Dos, ayant le corps de moyenne figure; c'est à dire la téte & la poitrine un peu élevées & de telle sorte, quelle ne soit pas entierement couchée, ni tout-à-fait assisse; car par cette situation elle respirera plus à son aise, & aura bien plus de force à faire valoir ses douleurs, que si elle étoit enfoncée dans son lit. Etant en cette posture, elle ecartera ses cuisses l'une de l'autre en pliant les jambes & approchant un peu les talons contre les fesses, qui seront mediocrement elevées par un petit oreiller, mis dessous, s'il est besoin, afin que le cocyx ou croupion, ait plus de liberté de se reculer en arrierre; & ses pieds seront appuyez contre quelque chose, qui resiste; outre cela elle tiendra quelque personne de ses mains, afin de se mieux roidir pendant ses douleurs. La femme ainsi située proche du bord de son lit (aupres du quelle sera la sage femme, qui par ce moyen aura plus de facilité pour lui aider au besoin) prendra courage, & fera valoir ses douleurs le plus qu'il lui sera possible en s'efforcant de les pousser en bas, lors qu'elles lui viendront; &c.* *Dionis* vero in tractatu suo de Arte Obstetricandi, Gallico idiomate conscripto, *Lib. III. Cap. III. p. m.* 209. lectum, cui parturiens superincumbat, alio præparat modo, dum non saltem vulgarem reiicit, sed & alium commodiorem, munditiei & nitoris, cui mulieres imprimis deditæ sunt, gratia alium accommodare jubet. Verba ejus ita sonant: *La maniere la plus usitée en france c'est d'accoucher sur un petit lit, qu'on appelle lit de travail,*

que

que l'on dresse exprés dans la plus grande ruelle du lit de la femme grosse: l'accoucheur ne doit pas se contenter d'avoir ordonné de disposer ce lit, il faut qu'il le fasse faire de telle sorte, qu'il convient à l'accouchement; il doit être composé de deux matelas sans lit de plume, placez sur un lit de repos, qui n'ait pas plus de trois pieds de large, il faut même metre entre les deux matelas une planche, afin que les fesses de la femme ne soient pas dans un creux, on y met deux draps & une couverture de plus minces; Il y faut double traversin, pour lever la tête & les épaules de la femme; on y met deux chevilles d'un pied de long, l'une à droite & l'autre à gauche, que la femme empoigne dans les tems de douleurs, & il y a une barre au pied du lit, qui sert d'appui aux pieds de la femme en travail. *La Motte*, tanquam singularem encheiresin præterea commendat, ut reflexis pedibus, ita ut calcanei nates attingant, collocetur supra lectum parturiens, quo ossis innominati partes à sacro diducantur longius. Quod, in Tractatu suo des accouchemens *Lib. I. Cap. 25. p. 135.* hisce indigitavit verbis: *On doit faire un petit lit auprés du feu &c. ce petit lit doit étré fait ensorte, que la malade êtant couchée, ait la tete un peu elevée, depuis les epaules jusqu'au siege, qu'il soit egal, mais qu'il y ait un degagement sous le siege, c'est a dire, une forsse, ou chûte, depuis ce lieu la jusqu'au bas du lit, afin que rien ne fasse d'obstacle à la sortie dél'enfant, un linge en double sous le siege pour recevoir l'enfant: une petite nappe doublée en quatre sous les reins, les genoux elevés & eloignés, avec deux personnes pour tenir le deux bouts de la nappe, afin d'e-*

 lever

lever la malade dans le besoin, avec chacun une main & de l'autre tenir les genoux ecartés & les talons le plus prés de fesses qu'il est possible, appuyés contre les pieds du petit lit &c. Quod & dudum jam Louise Bourgeoise traité des accouchemens. *Lib. I. C. X.* docuit.

§. IV.

Anglis mos est, sellæ insedendo, infantes parere, qui mos & *Batavis* solennis est, uti *Exper. Deventer* in libro suo *de Arte Obstetricandi* p. 83. fig. 13. C. XXVI. demonstravit. Obstetrix, inquiens, in usum parturientium instructa sit accommoda & accurate constructa sella, in qua, ut res postulat, quocunque modo sedere, vel decumbere possint fœminæ, sive sit partus facilis sivè difficilis. In tali enim sella perforata parturientes multo commodius enituntur, quam in lecto, vel strato abbreviato, & obstetrices in ea convenientius operam navare possunt. Sueci, Experientissimo Domino van Hoorn teste, quoque triplici utuntur methodo qua parturientes collocant, vel enim stando vel sedendo vel lecto imponendo, verba ejus ita sonant Cap. XI. p. 40. *Auf vvie vielerley Weiße vvird eine Kreißende zur Geburt gestellt?* Antvv. *auf dreyerley vveiße, stehende, sitzende und liegende. Stehende, entvveder auf denen Füssen oder auf den Knieben und sich mit denen Armen an einen Tisch oder Banck stützende, und alßdann stehet die Wehmutter auch auf denen Knieben hinter ihr, ihr zu helffen und das Kind anzunehmen.*

men. Sitzende entvveder daß mann im Fall der Noth zvveen gleiche hohle Stühle nimmt, beyde neben und so vveit von einander setzet, daß die Fr. mit beeden Hüfften darauff ruhen könne, mit jedvveder Hüffte auff einem Stuhl, ohne daß das Hervorkommen deß Kinds verhindert vverde; Oder man hat darzu gemachte Kreyß-Stühle, so besser mit denen Augen könnten besehen, als mit der Feder beschrieben vverden, vvobey doch in Acht zu nehmen ist, daß das Sitz-Brett oder die Brille hinten nicht so breit seyn muß, daß das Kreutz-Bein mit dem Schvvantz-Bein sich darauff stütze oder ruhe; dann dieses Bein muß frey seyn, daß es in der Geburth kan hintervverts gezvvungen vverden &c. oder daß die Kreisende einem im Schoosse sitze und so gebähre. Liegende, entvveder daß die Frauvv in ihrem eigenen Bett liegend, das Kind zur Welt gebühret, und denn muß die Weh-Mutter der Frauen zu denen Füssen stehen und ihr helffen, so doch sehr unbequem ist, und vvird das Bette über dem von denen außfliesenden Feuchtigkeiten verdorben, oder die Frau vvird auff einem dazu gemachten Kreiß-Bette gelegt.

§. V.

Antiqua *Germanorum* consuetudo fuit, ut parturientes sellæ supersedendo infantes ediderint, uti hac de re videre est *der schvvangeren Frauen Rosen-Garten, gedruckt in Augspurg* 1530. 4to. *und in Hochteutschen Landen*, ait, *auch in Welschen Landen, haben die Hebammen besondere Stühl dazu, vvann die*

Fr. gebähren ſolle, und ſind nit hoch aber innvvendig außgenommen und hol, und ſollen alſo gemacht ſeyn, daß ſich die Frau hinden müg anleinen mit dem Rücken; denſelben Stuhl ſoll man hinten am Rücken außfüllen mit Tüchern und ſo es Zeyt iſt, ſo ſoll die Hebamm die Tücher vvohl erheben und ſy keren, yetzund auff die rechten Seyten, yetzund auff die lincken Seytẽ, quod & in libro, cui titulus eſt *Kindbärer Frauen Roſen-Garten* fol. 31. *gedruckt Franckfurth am Mayn* 1545. Continentur eadem fere etiam in Huxholzens *Unterricht der Hebammen* Cap. 5. p. 23. hiſce Verbis: *Wann ſich nun die Frucht zur Geburth rechtmäßig darſtellet, ſo ſoll die Hebamm nicht ohnbeſonnen und unnothig eylen, vielvveniger die verſchloßene Häute mit Gevvalt erbrechen, ſondren die Gebährerin fein ſanfftmüthig uff den Stuhl zu gebähren führen, niederſitzen und mit dem Rucken hinterſich ruhend anlehnen heißen* &c. Chriſtoph. *Voltern in der Neuer-öffneten Hebammen-Schuhl*, Sellam parturientium perforatam exſculptam figura quadam repræſentavit. Welſchius in verſione ſua germanica Scipionis Mercurii ſub titulo *Kinder-Mutter- und Hebammen-Buch* p. m. 262. Sellæ cujusdam figuram exhibuit, qua ſuo tempore utebatur. Ekarth. in Tract. ſuo cui titulus eſt *die Unvorſichtige Hebamm* p. 554. quoque ſellæ cujusdam perforatæ mentionem facit. Nec hic ſilentio præterire poſſumus, quin potius paucis tangamus ſellam, quam Experientiſſ. Dn. Dr. Fried, Pract. Argentorat. & obſtetric. jurat. Obſtetricibus ſuis demonſtrat; quæ quidem admodum commoda, uti in legibus obſtetricum Argentorat. exprimi curavit,

ravit, esse debet. Cum autem accuratius istam inspiciendi nondum occasio nobis data fuerit, ita etiam judicium nostrum suspendimus, hoc saltem, uti ex descriptione patet, credentes, eam ex hisce allegatis & imprimis ex hac forma, quam Justina Sigmundin, in tractatu suo de Arte Obstetricandi p. 210. depingi curavit, esse compositam.

§. VI.

Helvetii, uti aliis in rebus quam plurimis Germanos imitati sunt, ita & hunc morem, qui nobis solennis est, introduxerunt, ita n. Jacob Ruff in tractatu suo de arte obstetricandi p. 52. scribit: *Und so sie gebettet haben, heißen vviederum auffstehen und die Frau in dem Nahmen GOTTES heißen sitzen auff den Stuhl darzu verordnet, der denn also gemacht soll seyn, vvie hernach stehet; Er soll haben vier Bein oder Füß, mit einem Ruck-Brett hintersich geblödet, mit einem schvvartzen vvüllenen Tuch umhencket, damit die Fr. bedeckt und unten herum verborgen bleiben möge, und die andren Weiber, vvo es vonnöthen vvürde seyn, auch helffen könnten, hinten fornen und zu beyden Seiten, vvie das am geschicktesten seyn möchte; der Sitz des Stuhls soll allenthalben an den Enden mit linden Tüchern umbunden und versorgt seyn damit die Fr. lind sitze, auff daß das Kind nicht verletzet vverde von den Eckenschärffe und härte des Stuhls, ob sich die Fr. zur Zeit der Noth zücken vvürde als viel geschicht nit ohn grosen Schaden.* Quod & Joh. Muraltus in libello suo Obstetr. p. 155. hisce confirmavit verbis:

Es sollen die Hebammen so bald sie zu einer kreißenden Fr. erfordert vverden, bedacht seyn, vvie sie derselben ein vortheilhafftiges Kreyß-Bette zurichten, oder einen bequemen Stuhl an die Hand schaffen, auff vvelchem die Wehen füglich außgearbeitet und die Frucht mit Göttlicher Hülff an das Tagslicht gebracht vverden möge. Solte aber pergit, *von der kreisenden Frauen, vvie an vielen Orthen geschicht ein Stuhl verlanget vverden, so könnte derselbe also verfertiget vverden, daß er auff beyden Seiten Lehnen und vornen an solchen starcken Knopff hätte, daran sich die Frau steuren könnte, das Sitz-Brett muß mitten etvvas außgeschnitten, und der gantze Stuhl vvohl vervvahret seyn, daß er nicht außeinander gehe. &c.* Et hæc de situ parturientium dicta sunto, superest, paucis, ut & examini subiiciamus, qualis in quovis conveniat partu.

CAPUT III.

QUALIS IN QUOVIS PARTU CONVENIAT SITUS.

§. I.

Considerato jam more, qui cuivis genti & nationi apud parturientes solennis est, ordo Dissertationis postulat, ut de optimo in quovis partu situ paucis quoque agamus. Notum est partum optime dividi in naturalem & præternaturalem, Quem-

Quemlibet jam horum ſingularem requirere encheireſin, qua fœtus ex utero materno extrahi poſſit, conſtat. Et licet Hyeronym. Mercurial. de morbis mulierum quatuor recenſeat partus ſpecies, animus tamen non eſt, inpræſentiarum noſmet huic controverſiæ immiſcere, cum cognitum ſit, ſub duabus hiſce ſpeciebus omnes reliquos partus comprehendi poſſe. Si igitur Obſtetrix per orificii uterini interni contrectatum non tam de veris ad partum doloribus, ſed & de naturali infantis ſitu, capitis nimirum vertice intra oſſa pubis ingreſſo, occipite autem verſus pubem jacente certior eſt facta, tunc utique parturiendi nullus commodior ſitus, quam ſellæ perforatæ expreſſe ad hoc negotium fabrefactæ inſedendo, poterit commendari. Hoc enim modo dolores ad partum ſubſiſtere poſſunt, fœtusque ope contractionis ſpasmodicæ uteri expelli, atque mundo tradi poteſt. Lecto autem incumbendo non tanta facilitate hæcce peraguntur, neque etiam obſtetrices officio ſuo tam bene defungi poſſunt. Quod ſi vero contingeret, ut ob præternaturalem infantis ſitum operatio eſſet inſtituenda, hoc eſt, infans vi & manuali obſtetricantis periti, operatione ex utero eſſet extrahendus, tunc utique ſuademus, ut hic antequam operationem aggrediatur, lecto ſuo vel vulgari vel expreſſe ad hoc parato, qualem ſupra deſcripſimus, transverſim imponat mulierem. Hoc enim modo operationem faciliori negotio peraget omniaque minantia mala & pericula eludet.

§. II.

§. II.

Per partum autem præternaturalem non intelligimus omnem partum, qui cum labore & dolore parturientis conjunctus est. Cum ſane hoc ſenſu pauciſſimæ, imo nullæ, reperiundæ eſſent fœminæ, quæ non ad claſſem difficulter parturientium referri deberent. Sed ſaltem omnes iſtos intelligimus, qui à naturali recedunt, hoc eſt, qui non ſolius naturæ impulſu peraguntur & partum in longum protrahunt, difficilemque imo ſæpiſſime ſumme periculoſum reddunt. Sic enim noti ſunt diverſi illi ſitus, quando 1°.) infans capite quidem ſeſe offert, iſtud autem ſitu obliquo poſitum eſt, quo in caſu ſæpiſſime inſtrumenta in auxilium ſunt vocanda. 2°.) Si aure oculo aut tota facie per oſtia prodire conatur, 3°.) ſic manu, cubito, aut humero ſeſe offert, 4°.) ſi natibus, genibus aut pede uno alterove exitum quærit 5°.) ſi ventre, dorſo, collo, reflexo capite, latere aut manibus pedibusque ſimul egreſſum molitur. 6°.) Si ſecundinæ excluſo jam fœtu præter naturam detinentur, vel circa uteri orificium adnatæ ſunt. Aut denique ſi apparente artuum alterutro funiculus ſimul umbilicalis protruditur. His enim in caſibus ſolius naturæ opere infans minime ex utero expelli poteſt, ſed manualem expoſtulat operationem & pedibus extrahi debet. Quomodo autem hoc fieri debeat, id auctores ſupra allegati fuſius docuerunt.

§. III.

Ultimo loco ſuper eſt, ut & reclinationis ſupinæ muliercularum pro facilitando partu mentionem faciamus, quam Germani *das Stürtzen* nuncupant. Operationem hanc à vetuſtiſſimis medicis jam deſcriptam eſſe legimus, ſic enim Hippocrates *L. I.* de Morbis Mulier: §. 93. loquitur. Utatur item concuſſionibus, ſic autem concuſſionem facito, Lectum altum, robuſtum, ac inſtratum ſumito & mulierem ſupinam reclinato, pectus vero & axillas ac manus, faſcia aut molli lato loro ad lectum alligato accingito, & crura incurvato & malleolis apprehenſam detineto. Quum autem ſic diſpoſueris, ſarmentorum mollium faſcem, aut aliquid huic ſimile parato, tantum quantus ſufficit, ut lectum non negligat excipiendo ipſum, dum in terram projicitur quo non pedibus juxta caput terram contingat. Poſtea vero ipſam manibus lectum apprehendere jubeto, & lectum ad caput ſublimem habere, ut declivis ſit in pedes animadverſione habita ne pronua ſit homo ipſa. Ubi vero hæc facta fuerint & lectus ſublimis fuerit, retro ſarmenta ſupponito maxime autem dirigito, quo pedes terram non contingant, dum lectus projicitur & ut ſint intra ſarmenta. Elevent autem duo viri ex utroque pede hinc atque illinc quo indirectum lectus cadat, plane ac æqualiter, & convulſio ne fiat; Concutiendum eſt au-

D tem

cem maxime una cum partus dolore. Et ſiquidem diſcedant, ſtatim quieſcendum. Sin minus interſtitio facto, rurſus concutito, & in lectum geſtatam attollito, ac agitato, & §. 94. Quicunque vel duplicati complicantur, & in oſculo uterorum incumbunt, eos ſive vivi fuerint ſive mortui, rurſus retro protruſos vertere oportet, quo ſecundum naturam in caput exeant. Quum autem retrudere voles aut vertere ſupinæ ipſi reclinatæ molle quiddam ſub coxas ſubſternere oportet; & ſub lecti pedes, quo altiores ſint hi à pedibus ſemper aliquid ſupponere. Sed & coxæ altiores capite ſint & ut nullum cervical ſub capite ſit provideto. Quum vero retruſus fuerit fœtus & hinc atque illinc obvolvitur ut ſecundum naturam conſtituatur & quicquid ſub lecti pedes ſuppoſuiſti ac lapides & quicquid ſub coxos ſubdidiſti, ſubtrahito capiti vero ſubjicito atque talia hoc modo curato. Libro autem de fœtus in utero mortui ex ſectione §. 3. ſequentem in modum ſeſe declarat. Concutere porro oportet hoc modo; ſindone ſubſtrata mulierem reclinabis, & aliam ſuperinjjcies, quo pudendum ipſius ſit obvelatum obvolvesque ſindonem circum utrumque crus & circum utramque manum; Mulieres autem duæ utrumque crus apprehendant, & aliæ duæ utramque crus apprehendant, & aliæ duæ utramque manum, deinde concutiant validè ipſam tenentes; non minus quam decies. Poſtea in lectum reclinetur mulier in caput, ita ut crura ſurſum vergant & mulie-

res

res omnes ipsam pedibus corripiant, manibus dimissis, sæpeque concutiant, ac rejectionem in humeros faciant in lecto, quo fœtus in spatiosiorem locum retrusus vertatur, & naturaliter prodire possit.

§. IV.

Hunc modum sequenti sunt recentiores & imprimis Solingen in Embryulcia sua, qui eundem distinctis vicibus suadet atque commendat. Omnia autem, quæ inde oriri possunt symptomata, si probe considerantur, tanti esse ponderis existimamus, ut non modo impossibilitas, sed inutilitas reclinationis supinæ apud parturientes satis manifeste appareat. Unde omnes fideliter monemus, ut à tali consilio atque auxilio sibi temperent neque in illo spem vanam collocent, sed potius obstetricibus talia consilia proponant, quorum effectus minus infidus, ac periculosus, sed certior & felicior apparet. Atque hæc sunt, quæ pro utilissimo hoc themate illustrando, ex tenui penu mei ingenii depromere potui. Fatemur lubenter, quædam à nobis esse penitus omissa, plura autem justo brevius pertractata, quæ tamen alii insigni verborum pompa exponere solent. Sed id consulto factum est noluimus enim tua B. L. patientia abuti, ea scil. repetendo, quibus integros codices repletos videmus,

Satis nobis erit, ſi quæ in medium protulimus ſtomacho tuo haud adverſa videbimus. Quod ſi minus hoc acciderit, ea qua par eſt animi ſubmiſſione te rogamus, velis errores lapſusque ingenii noſtri æqui bonique conſulere. Interim Deo T. O. M. ſit laus pro conceſſis corporis animique viribus, qui noſtris actionibus divina ſua benedictione porro clementiſſime ita adſit, ut ejus honor & gloria proximique commodum perpetuus illarum ſit.

F I N I S.



* * * * * * * *

SI sexus sequior persentit mille dolores
Difficili in partu, tunc petit artis opem:
Succurrunt Medici misero & solamina præbent,
Auxiliante Manu, conveniente Situ,
Hunc nobis monstras, facilem quoque reddere partum
Tentas, ut pariat munera magna Tibi.

His
Nobilissimo atque Doctissimo
Dn. Candidato
Fautori atque Amico suo honoratissimo
applaudit
JO. JACOBUS SACHS, D. & P. P. O.
h. t. Fac. Med. Dec.

DU kanst Geehrter Freund/ kein besseres Schicksaal finden/
Da Dir die Götter hold und Menschen günstig sind.
Appollo ist bereit/ den Lorbeer-Krantz zu winden/
Die Venus liebet Dich/ weil Du dem schönen Kind
Das/ durch ihr Netz bestrickt/ den kleinen Fehl-Tritt macht/
Schafft/ daß es wie zuvor/ für Jungfer wird geacht.
Gelehrte müssen Dich als Æmulum erkennen/
Weil Deine Wissenschafft in stetem Wachsthum blüht/
Die Schrifft/ die Du gesetzt/ heist Sie sich Freunde nennen/
Sie macht/ daß jedermann sich um Dein Lob bemüht.
Wie will mein schwacher Geist auf neue Wünsche dencken/
Der Himmel kan Dich nicht auf bessere Art beschencken.
Es grünt anjetzt Dein Glück/ Dein künfftig Wohlergehen/
Ich hoffe/ daß kein Fall/ Dir jemahls wiederstrebt/
Vielmehr daß ich dieß kan zu allen Zeiten sehen/
Wie eine höhere Hand zu Deinen Besten lebt.
Die Freunde in der That/ vermehren täglich sich/
So fehlt es Dir an nichts und ich erfreue mich.

Mit diesen Zeilen/ wollte sein ergebenstes
Gemüth contestiren.
J. G. Pachelbl/ von Gehag.
Conterraneus.

JN dieser Edlen Schrifft/ die uns Dein Geist gebohren/
Zeigst Du Geehrter Freund/ wie man gebähren muß;
Du hast den rechten Stoff zu Deinem Zweck erkohren/
Denn beyder Orten weißt sich Mühe und Verdruß.
Doch wie gebährende mit diesem Trost sich laben/
Wenn sie der Menschen Zahl beglückt vermehret haben/
So siehst Du Deinen Schweiß mit frohen Augen an/
Dieweil er zu dem Heyl der Welt gereichen kan.

Hiemit wolte dem Herrn Licentiaten
sich zu fernerer Freundschafft
empfehlen

Paul Chr. von Stetten.

DU weißest werther Freund durch Deine kluge Schrifften/
Wie Du die Medicin bishero hast geliebt
Deßwegen will mein Kiel Dir jetzt ein Denckmahl stifften;
Ob er in Versen zwar annoch sehr schlecht geübt.
Nimm Hertzens-Freund den Wunsch von Deinen Diener hin/
Wann Dich der Himmel wird mit steten Glück ergötzen/
Und Deinen Edlen Fleiß nach Würden wird ersetzen/
So glaube daß ich recht darob erfreuet bin.

Diese wenige Zeilen setzet seinem Allerliebsten
Freund vonhertzen gratulirend bey/ dessen
gantzergebenster

JOHANNES BOECLER, M. Doctorandus.

* * * * * * * * *

UNs hat / Geschätzter Freund / ein gleicher Sinn regiert
Und fast zu einer Zeit zu einem Zweck geführt /
Doch so / daß ich gefolgt und Du mir vorgegangen
Drum hoff' ich / daß Dein Glück in stetem Wachsthum neu
Und meines Wohlergehens vollkomnes Muster sey;
Dann wirst Du Dein Verdienst / ich meinen Wunsch erlangen.

Dieses wenige fügte andern treuen Glück wünschen bey des Hrn. D.
beständiger Freund und Diener

H. A. L. F. aus Lübeck.

JCh soll zu Deinem Ruhm / Dir was in Reime setzen:
Allein die Gaben hab ich nicht
Ich weiß nicht Deinen Fleiß / noch Dein Verdienst zu schätzen /
Drum wünsch' ich Dir vor ein Gedicht:
Du seyst des Himmels Gunst / und auch dem Glück empfohlen;
Die Venus sey Dir hold / und schencke Dir zum Lohn /
Erst eine hüpsche Frau / dann einen lieben Sohn.
Du sparst das Boten-Geld / und kanst ihn selber holen.

Diese Zeilen schrieb seine Ergebenheit zu bezeugen

Lorentz Haußmann / aus Lübeck.

MOn amour, cher ami, egale à la tienne,
Parle moins en Vers qu'en souhaits & du Cœur,
Puisse le ciel, pour former ton bonheur
Te combler pour jamais de toute la sienne.

JEAN ERNST FRIDEL.

CUm Tua detrectat magnas modestia laudes
Scribere sic refugit carmina penna mea.
Multa satis Tua sunt studia atque industria notae,
Impigra mens nullo victa labore Tua.
Taedia curarum labor improbus omnia vicit
Virtutis quare praemia digna refers.
Det Deus ut ceptum fortunet, quô Tibi jure
Imponi possit rubra Tiara brevi.

Sic
Nobilissimo atque Doctissimo DN. Candidato,
Amico suo jucundissimo, in perpetuae amicitiae memoriam, applaudit.

LUDOVICUS PHILIPPUS REINWALD,
SS. Theol. Stud.

